

6678.



THEMATA,
DE HYDROPE,

Quæ

Authoritate atq; decreto amplissimi clarissimiq; laudatissimæ Basileensis Academiæ Medicorum ordinis

Pro summis in arte Apollinea honoribus & privilegijs consequendis

Diuino præsidente numine

Examinanda discutiendaq; proponit.

IOAN. RVDOLPHVS SALTZmann Argentinenſis.

Ad diem 21. Decembris.

B A S I L E Æ,

Typis IOANNIS SCHROETERI.

MDCCXCVII.



*Omnatissimo, pstantissimoq; viro Con
Mertelio amico cui feceris pmo mu
delicta mittit Rehm Anno*

624

D
IOANNI SALTZMANN,
maioris in celeberrima Argento-
ratensi Republ. senatus
Secretario.

*Patri suo in perpetuum honorando
& colendo.*

Hæc de Hydropo positiones

*In debita obseruantia monumentum
filialisq; amoris tesseram*

Offert ac dedicat.

Filius


JOANNES RVDOLPHVS
Saltzmann.

AD
BIBL. UNIV.
MONAC.



DE HYDROPE

Thesis I.



*H*ier affectus, qui naturalem facultatem vitiatam, tanquam symptoma, insequi solent, non postremus est is, cuius Hipp. lib. 7. aph. aph. 55. meminisse videtur: quiq; à varijs authoribus varia etiam sortitus est nomina: græcis namq; ὕδρωψ, ὕδρωπις, ὕδρω, ὕδρωπις, ὑδρωπις, ὑδρωπις, ὑδρωπις, ὑδρωπις: Latinis verò, aqua intercus vel intercutem, morbus hydropicus, ut habet Celsus lib. 3. cap. 21. Arabibus hydropisis dicitur.

2. Quocumque autem modo nominare placuerit, perinde erit: satius enim videtur ad naturæ causarumq; cognitionem, indeq; ad curationem eius accedere, & ita, an Hipp. illa sententia uniuersaliter vera sit, patefacere.

3. Est autem Hydrops affectus præter naturam, prodiens à facultate concoctrice læsa ipsius hepatis: cum ob eius refrigerationem superflua aquosa vel statiosa humiditas, in corpore vel toto, vel circum hypochondria colligitur.

4. Auicenna lib. 3. Fen. 14. tract 4. c. 4. ita definit. Hydropisis est agritudo materialis, cuius causa est materialis extranea frigida, ingrediens membra, & tumescunt per eam aut membra manifesta omnia, aut loca vacua partium in quibus sunt regimen nutrimenti & humores.

5. In distinguendis autem huius affectus differentijs maxime inter se contrariantur Medici, quidam enim, ex

quibus est Hipp. ut patet. 4. de rat. vict. in morb. ac.) duas tantum, ad tumorem respicientes, nobis proponunt, alij vero, ut testatur Gal. in Comm. eiusdem loci, quatuor statuunt.

6. Verum rectius pro ratione materiae triplicem proponi hydropis differentiam videtur à Gal. 4. de rat. vict. com. 113. lib. de tum. p. n. cap. 20. 5. de loc. aff. cap. 7. 4. de caus. puls. cap. 24. Paulo l. 3. cap. 48. Alex. lib. 9. c. 1. Celso. lib. 3. cap. 21. & alijs fere omnibus Medicis.

7. Prima species fit ex humoribus tenuioribus (vel aquosis, ut ait Galen. lib. de tum. p. n. c. 20.) in partium infra thoracem capacitatem effusis: diciturq; ascytis, vel morbus utricularius. Gal. lib. def. med. cap. 12. asclytis item, & asclychon. Sauian. tract. 6. c. 14. rubr. 10.

8. Est autem Hydrops ascytes, in quo venter & scrotum cruraq; intumescunt, superiores autem partes extenuantur, & graciles fiunt Gal. l. c.

9. Vel, est qui humidi substantia tenuis copiam in tota inferiore thoracis regione acervat, Gal. 4. comm. in Hipp. de vict. rat. in morb. ac. com. 113.

10. Ex nimia autem flatuum infra thoracem collectione tympania produciuntur, qua altera est species Gal. 3. de caus. sympt. Paul. l. c. Oribaf. synopsis. lib. 9. cap. 23. Auic. lib. 3. fen. 14. tract. 4. c. 4. ab Hipp. 4. aph. 11. hydrops siccus dicitur.

11. Vnde etiam definitur, Hydrops tympanias est cum in ventre spiritus plus inuenitur humoris minus, ac si quis pulsauerit sonus exauditur. Gal. lib. def. med. cap. 12.

12. Tertia species oritur ex sanguine humidior (Gal. Paul. Oribaf. Auic. l. cit.) vel si manis ex pituita copiosiore, (Gal. lib. de tum. p. n. cap. 20.) in universo corporis habitu, iuxta sub vel intra carnem abundante. dicitur etiam Leucophlegmatia Gal. lib. def. med. C. 12. item ἐπισπασμίδιον, σπασμίδιον, & σπασμίδιον & similiter ut videre est apud Alim. sua. prax. C. 91.

13. Quare etiam dicitur Anasarca, cum totum corpus intumuit œdemate atq; humore circumluitur. Gal. lib. def. med. c. 12.

14. Differunt autem hætres hydropis differentia, non ratione materiae modo: sed etiam ratione cause efficientis: à maiore enim, ut monet, Gal. com. aph. 11. sect. 4. ascytis frigiditate produciuntur quam tympania, siquidem humida substantia absq; calore in vaporem transmutari non potest. Anasarca vero ascyte frigidior est, propter totius corporis habitum refrigeratum.

15. Causa Hydropis alia communis est, alia cuiuslibet speciei propria, & vel Materialis, Formalis, Efficiens, vel Finalis: quibus Sauian. d. l. rubr. 9. quintam, nimirum Localem adijcit.

16. Primò autem de communibus, mox etiam de proprijs agendum. Materialis ergo communis, est ipsa aquositas, vel phlegma aquosum, seu ventositas. Formalis, est essentia ipsius morbi per notificationem eius habita.

17. Efficiens est vel coniuncta vel antecedens: antecedens iterum vel interna ἀεργυσμὴν vel externa ἀεργυσμὴν.

18. Coniuncta est eadem qua Materialis, aquositas nimirum, phlegma aquosum, & flatu vel ventositas.

19. Antecedens interna, est sanguificationis frustratio, prodiens ab hepatis imbecillitate, ob nimiam visceris refrigerationem: nunquam enim nisi hepate affecto, & per consequens lesa sanguificatione, hydrops fieri poterit. Gal. 2. de fac. nat. cap. 8. 5. de loc. aff. cap. 6. 6. de loc. aff. cap. 1. 2. progn. com. 1. Orif. syn. lib. 9. c. 23. Aet. tetr. 3. ferm. 2. c. 20.

20. Hic autem hepatis affectus vel primario in ipso viscere consistit, vel ipsi communicatur à toto, vel partibus circumiacentibus, ut sunt pulmones, cor, ventriculus, lien, renes, intestina, uterus, vesica, &c. idq; ob nimiam vel caliditatem vel frigiditatem, vel etiam obstructionem, & alios earun-

dem affectus qui hepatis vires deijcere possunt. Gal. Oribas.
Aet. ll. cit. Auic. lib. 3. Fen. 14. tract. 4. c. 4.

21. Quin & podagram, coxendicum dolores, arquatum,
solicam passionem, dysenteriam & orthopnoeam, hydrops
subsequitur: teste Auic. Aet. Sauan. ll. cit.

22. Ad procatarticas causas, referuntur omnia illa qua
extrinsecus aduenientia, iecur vel mediate vel immediate
nimium refrigerare eiusque vires deijcere possunt.

23. Talia sunt Aeris ambientis nimius calor, vel fri-
gus immodicum: hoc siquidem, calorem innatum nimium
constringendo, & strangulando suffocat: ille vero nimis disti-
pando infringit.

24. Usus nimius ciborum crassorum & viscidorum, ca-
lidorum vel frigidorum. ut de muliere quadam refert Sa-
uan. d. l. qua nimio piperis usu cachectica facta fuit, & pro-
cul dubio, nisi morte abrepta citius fuisset, in hydropem inci-
disset.

25. Potus etiam talis: praesertim aqua frigidior impor-
tunius bibita Gal. 6. de loc. aff. c. 1. Serapio tract. 4. cap. 7.
Aet. loco cit. Chylus etiam non bene elaboratus, vel alio mo-
do vitiatum, & ad iecur delatus, Auic. d. l.

26. Motus quin etiam immodicus: tum totius tum
etiam hepatis calorem dissolvens.

27. Vigilia nimia, qua etiam humidum radicale absu-
mendo, totius & hepatis simul vires deijcere possunt.

28. Euacuationes nimiae: vel immodicae excremento-
rum retentiones, ut haemorrhoidum, mensium, & si quae sunt
alia. Gal. 2. de nat. fac. cap. 8. Auic. lib. 3. Fen. 14. tract. 2.
c. 1. Aet. Oribas. Serap. ll. cit.

29. Praeter dictas causas, sunt & aliae multae, ut omnes
insignes hepatis continui solutiones siue eae ab exterioribus,
siue ab interioribus originem ducant, ut scirrhus, ulcus, scis-
sura, & similes: inflammatio item, Gal. 2. de praesag. ex puls.

cap.

cap. 9. & aliae, quas omnes hic recensere nimium foret.

30. Finalis causa est, ut destruaturn corpus & ad interi-
tum deducatur.

31. Localis, est spatium vacuum inter cirbum & siphac
(ut Arabes loquuntur) vel intra peritoneum: & totius cor-
poris spongiositas.

32. Et haec de causis communibus: propria vero eodem ut
superiores modo diuiduntur.

33. Materialis ergo in Ascyte causa est, ut & efficiens
coniuncta, superfluitas aquosa, quae (ut cum Auic. lib. 3.
fen. 14. tract. 4. c. 5. loquar) non egreditur ex parte sui exi-
tus per vesicam, unde natura coacta materiam illam alibi
diuertit & reducit in vias per quas delata est, cum autem ob
copiam ibi contineri nequit, per diapedesin incapacitatem
abdominis transcolatur & transudat, cum amplum sit spatium
in quod materia effundi possit.

34. In Tympania, est nimia ventositas, vel flatuositas in
dicto loco collecta. Gal. lib. de tum. p. n. c. 20.

35. In Anasarca est phlegma aquosum, in totius corporis
habitum effusum.

36. Reliquae in omnibus eadem sunt, nisi quod antece-
dentes in Tympania mitiores sunt quam in Ascyte, & in hac
quam in Anasarca, ut supra etiam dictum est.

37. Ad σφουδιον nunc transeundi tempus videtur,
quae duplex est, vel διαγρωσιον, vel πρωγρωσιον, & vel com-
munis vel propria.

38. Signa ergo διαγρωσιον communia sunt, spirandi dif-
ficultas, tumor & grauitas, corporis color vitiatum, ex virore
albicans, cibi fastidium, aliquando & sitis & tussicula leuis,
sed tarda concoctio, omniaque illa quae cachexiam demon-
strant, fortiora tamen.

39. Accidit autem interdum ut vehementi ciborum
desiderio teneatur aeger, cum nimirum ob nimium gelida po-

tum

rum malum ortum fuerit. Gal. 5. de loc. aff. cap. 6.

40. An vero Hepar primario an per consensum laboret, indicabunt signa pracedentia: si enim praceserint quaedam que alium alterius particule, que hepatis malum communicare videtur, morbum patefecerint, hepar per consensum laborare verisimile est, si vero nulla praceserint, primario laborabit.

41. Singularia vel propria sunt, Ascytis quidem, sitis continuo affligens, fluctuatio humoris in ventre inferiore, procidentia item eiusdem ad latera decumbente agro, sonitus percusso ventre in modum eius qui fit concusso utre aqua pleno, tumor partium inferiorum, ut ventris, scroti, & pedum, cum superiorum gracilitate, post impressionem digitorum in tibis foveola remanentes que tamen sensim iterum evanescent.

42. Pulsus parvus, subdurus, cum quadam tensione. Urina cruda, tenuis, alba vel parum colorata, sine contentis.

43. Tympanitidis autem sunt, ventris extensio, & tumor non autem ad latera procidens ut in Ascyte sed in medium sublatus quocumque modo ager decubat, sonitus ventre percussio instar tympani seu utris aere repleti.

44. Pulsus parvus, rarus, durus cum tensione quoque. Urina itidem cruda, aquea, vel leuiter tineta, cum subsidentia seu hypostasi nulla, nubecula vel nulla vel per pauca.

45. Anasarcam demonstrant, totius corporis moles aucta, foveola post impressionem aliquandiu remanentes. Pulsus undosus, mollis & latus. Urina itidem cruda vel lora carniis similis, que ferè lethalis est.

46. Prognostica communia sunt, Hydrops morbis acutis superueniens malum. Hipp. in progn.

47. Tussis Hydropico superueniens lethale est, nisi ea aliunde originem habeat. Hipp. 6. aph. 35. & 7. aph. 48.

Vlce.

48. Ulcera in Hydropicis aegre sanantur. Hipp. aph. 8. sect. 6.

49. Hydrops qui scyrrhum iecoris sequitur, incurabilis est.

50. Hydropes inueterati, qui habitum iam totum permutarunt, periculosi sunt.

51. Ascytis, quam tympanitis periculosior, salubrior vero quam anasarca. Gal. lib. introduct. seu Med.

52. Singularia & propria cuiuslibet speciei prognostica signa sunt. Et quidem Ascytis.

53. Urina si hydropico augeatur, & sitis imminuatur, bonum.

54. Ascytis subito post lapidem renum superueniens, alterum ex ureteribus ruptum esse significat.

55. Tympanitidis prognostica sunt. Eruptiones ventositatis & flatuum, per os & anum, si continuæ sint & multæ, bonum.

56. Quibus tormina, & circum umbilicum dolores, & lumborum dolor, qui neque a medicamento, neque aliis soluitur, in Hydropem siccum firmatur. Hipp. sect. 4. aph. 11.

57. Anasarca sunt. Diarrhæa fortis hypofarca superueniens morbum soluere potest.

58. Quando pruritus accidit in naso, & cum hoc apparuerit mollities in facie aut in manu, mortem præforibus denotat.

59. Nunc ad curationem deveniendum, videndumque quibus modis Medicus huic malo occurrere debeat & possit: petenda autem est omnis curandi ratio ab indicationibus, à morbi causa, morbo ipso, & viribus aegri desumptis.

60. Cause autem omnium primò auferende sunt, inter quas primas tenet procatartica, mox ~~αὐτοματῶς~~ tandem coniuncta: vel utriusque simul incumbendum si licuerit, & causa & morbo, habita tamen semper ratione virium.

61. Triplici autem omnis Hydropis curatio instrumento perficitur, Dieta, Pharmacia, & Chirurgia.

62. Dieta consistit in recta administratione rerum non naturalium. Aer ergo in quo decumbit eger calidus & siccus, itemq; serenus, isq; pro ratione causa cum morbo coherentis moderandus erit.

63. Cibus sit paucus, facilis concoctionis, ad calidum & siccum vergens, admixtis diureticis vel flatu discutientibus, quod precipit Hipp. lib. de vict. rat. in morb. ac. in-quiens, sicca autem & acria edat, ita enim tum maxime minget, tum valebit.

64. Eiusmodi sunt, Panis hordeaceus, cum sem: calidis vel frigidis, farina, cicer. rub. Carnes temperata, facilis concoctionis, ut hadorum, capreolorum, pullorum gallin: volatilium laudatorum, cum aromatibus conuenientibus ut Cinnamonommo, Pipere, Zingibere & alijs: admixtis etiam alijs vrinas mouentibus, & flatu discutientibus, ut est petroselinum, sem. fenic. anis. cumin. sesel. dauc. apij. carui. & similia.

65. Potus, sit quoad fieri potest minimus, teste Hipp. l. cit. vinum vetus, subtile, vel aqua vino diluta, & quidem cocta, adiectis quibusdam ex dictis.

66. Vigilia somnum superet. Exercitatio ante cibum quoad vires ferant fortissima. Aluus semper sit aperta, vel natura vel arte, Animi pathemata moderentur.

67. His rite administratis ad peccantis humoris euacuationem deueniendum est, premissa tamen semper, si opus sit, humoris preparatione, syr. de acetos. cit. acetos. s. oximell. s. vel squil. de cichor. absynth. hysop. & alijs.

68. Obseruandum tamen ut, onaxium primò aluus libera sit, secundum Hipp. 2. aph. 9.

69. Primis ergo vijs expurgatis, & materia preparata, humor peccans euacuabitur Rhabarb. agar. trochisc. colocynth. tharbet. mechoaca, bryon, hermodact. elleb. myrobat. cheb.

cheb. citr. diacartham. diaphan. cass. rec. extr. pil. de Euphorb. de Mezer. & simil.

70. Non parum etiam conducet decoct. rad. asparag. gramin. cicerum rub. cum dictis feminibus & eorundem herbis.

71. Gal. lib. de remed. par. fac. cap. 151. radicem Tiibymalli qui charcias dicitur, in hoc morbo commedendam precipit, ut & granum cnidium cum melle & vino ex ovo sorbili.

72. Laudatur etiam decoctum ex rad. enule camp. pimpin. brusci, apij, gemst. cichor. valer. flor. thyllia cort. inter samb. agrimon. soldanella, & simil.

73. Succus item Anagál. cerul. cum decoct. Hyper. Asar. sem. Viticis. Lotium etiam hirti ex dulci bibitur.

74. Sunt qui in quotidiano potu insundunt cineres Geniste, & propinant quantum eger bibere voluerit, nullum tamen alium interim potum exhibendo.

75. Decoctum etiam ligni vel simpl. vel adiecta sarsa par. pro potu quotidiano laudatur.

76. Prae ceteris autem in hoc morbo medicamentis introsumendis maxime laudatur succus radicum sambuci, ebulli, & ireos nostr.

77. Balnea conducunt introsa sulphurea, aluminosa, salfa, eaq; vel naturalia vel artificialia. Laconica item & sudatoria: paulatim tamen his utendum, viriumq; habenda ratio.

78. Clysteres in hoc casu utiles, sunt ex decoct. Malu. Mercur. Polyp. Chamom. rad. ebul. ireos. sem. petrosel. apij. dauc. sesel. Elect. diacnic. benedict. lax. cassia extr. cum ol. ruth. chamom. amigd. dnlc. melle ros. sale. & simil.

79. Fomenta item & cataplasmata, in unctiones, illini-

triones, sacculi, & alia multa in hunc usum parantur.

80. Cataplasma fieri potest ex far. fabac. lol. hord. fanugr. sem. lin. orig. ebul. alum. sulph. cum aq. marina vel posca.

81. Hæderam crematam & cataplasmatibus formâ impostam laudat. Gal. lib. de remed. par. fac. cap. 41. proponit & alia libr. eod. cap. 108. & 151. è sterco. columb. taur. arc. ust. fim. capr. & alijs.

82. Videtur & id non inutile quod Gal. proponit lib. cit. c. 41. quod fit ex fimo caprino, cocto in oxycrato, & malagma-
zis formâ imposito.

83. Et hæc sunt remedia quibus Medicus in curanda Hydropse uti posse videtur: hoc tamen discrimine, ut in Ascyte magis diuretica eligat, in tympanitide flatus discutientia & resoluentia, in Anasarca verò ijs. quæ per sudorem, vel alio modo materiam absumunt, & exsiccant.

84. Huius enim nomine maximè laudatur, si corpus arena vel cinere à solis calore calefacto inuoluatur, & obtegatur, vel si corpus ipsi calori solis exponatur, tecto tamen & munito capite.

85. Laudatur etiam in hac specie vena sectio, si nimium à sanguinis suppressione vel plethora ortum habeat malum.

86. In Tympanitide præter iam dicta medicamenta etiam cucurbitula, sapius ventri imposita & applicata plurimum iuuabunt.

87. In Ascyte verò, si reliqua medicamenta nihil effecerint, & tamen Medicus adhuc spem salutis habeat, ad paracanthesein, remedium à multis neglectum & spreum, deueniendum, cautè tamen eo utendum est:

88. Supremo ergo collocato egro, quiescenteg, cultello, detecta primum & remota cute, subiectam quoq; carnem & muscu-

culos diuidere oportet, illâs tamen quoad fieri potest maximè fibræ musculi interioris, quo iuxta, umbilicû factò, aurea, argentea, vel alterius generis fistula, quæ ad ipsam concavitatem ventris pertingat, in foramen imponenda, & aqua emittenda, nõ uniuersa simul, ne cum aqua & vita ipsa effluat, sed partitis vicibus, tantum semper temporis interponendo donec vires recollectis videatur eger.

89. Sunt & alia quam plurima apud præcticos conscripta & notata remedia, quibus in hac affectu uti licet: verum ea omnia huc adferre & enumerare animus non est, siquidem & hæc ritè administrata, accedente simul gratia diuina, affectum huncce propulsare posse, omnino confidam.

90. Et hæc de hoc, longè periculosissimo, maximèq; intricato morbo, pro tempore dicta sufficiant.

Τῶ Θεῷ μόνῳ ἡ δόξα.

CORONIDIS LOCO Quæritur.

I.
AN etiam alio quam per diapedesein modo hydrops fieri possit. Affermat. Fit namq; interdum per diapedesein, incurabilis tamen est: per anastomosein neutriquam.

II.
Num Anasarca etiam à statibus fiat. Negatur. Flatus enim ad exteriorès corporis partes delati, facile dissipantur, & leui de causa immutantur.

III.
Vtrum Hydrops sit morbus contagiosus. Negatur. Omne

*enim contagium fit vel per spirituum, vel per humorum con-
tactum, quorum neutrum aptum est in hoc morbo ut per con-
tagium ab alio in alium transferatur.*

III.

*In alijs ne etiam quàm in sola Leucophlogmatia, hy-
dropis speciebus venam aperire liceat, Negatur. Siquidem
inde ager non modo non leuetur sed potius peius habeat.*

V.

*Num in Tympanitide liceat abdomen perforare &
flatus, ut in Ascite, emittere, Negatur.*

F I N I S.



Univ. Bibl.
München